



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

QUAESTIONES
IN
TIBULLI LIBRUM I CHRONOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS SCHULTZ
ZUELLICHOVIENSIS.

FUERSTENWALDIAE
TYPIS EXPRESSIT H. RICHTER
MDCCCLXXXVII.

Poetas lyricos et elegiacos libros editoros in carminibus ordinandis cum saepius rationem haberent eorum argumenti ita ut ea carmina quibus eadem res aut ei similis tractabatur in unum locum collocarent aut alias sequerentur rationes velut videmus Catullum id egisse ut carmina pari metro composita uno tenore in libris legerentur et Vergilium ita digessisse carmina bucolica ut carminibus amoebaeis interponeret alia in quibus non fecerat pastores altercantes, natalicium carminum singulorum tempus non modo non curasse sed etiam consulto omnia miscuisse ac turbavisse iamdudum agnitum est ac plurimorum hominum doctorum labor atque industria paene certatim collata sunt ut is ordo quo viderentur nata esse carmina sat certo quantum fieri potest constitueretur.

Haec enim quaestio suas movet difficultates, cum perpaucae inveniantur in carminibus lyricis et elegiacis rerum iisdem ipsis temporibus gestarum significationes, quibus maxime opus est ad eam explanandam, id quod ratio fert huius generis poeseos quo potissimum gaudia tractantur amoris et convivii, amicitiae et vitae rusticae iucunditates; quae omnia plane carent temporum significationibus. Quare factum est, ut viri d. carminibus tempus et locum assignaturi aliam ingrederentur rationem qua sperabant meliorem se fructum capturos esse. Quod enim poetae elegiaci unam eandemque puellam amatam sive puerum sibi dilectum compluribus saepe carminibns celebrabant, ea re poetas his carminibus omnes vicissitudines omnesque commutationes horum amorum eorumque integram accuratamque imaginem descripsisse arbitrati collegerunt alterum eorum alterum ita excipere prout sententiae in altero expressae cum altero cohaererent. Itaque summo studio in argumenta carminum

ipsorum inquisiverunt hoc consilio ut qualis in iis esset progressus rerum et sententiarum conexus perspicerent; quo opere peracto qui probabilis evaserat ordinem carminum constituerunt.

Atque Horatii carmina disposuerunt annorumque numeros singulis quantum fieri poterat cum fide addiderunt Massonus Carolus Franckius alii, in alios poetas alii docti tam accurate inquisiverunt ut de iis iam non dubitetur; sed de Albii Tibulli poetae venustissimi Romani carminibus quamquam permulti ac doctissimi viri permultum temporis ac laboris in eius libri primi carminibus digerendis consumpserunt adhuc ambigitur ac tanta est dissensio doctorum, ut nobis liceat in hac quaestione dirimenda nostram quoque operam collocare ac quae nobis de ordine illius libri carminum placent afferre.

Haec enim carmina digesturi viri d., prout cuique ratio erat, alius alium ordinem constituerunt. Pars enim testimoniis historicis quae insunt in carminibus ipsis aut inveniuntur in eis scriptoribus qui de Tibulli aetate scripserunt nisi ordinem carminum constituere conati sunt; sed illorum paucitate mox in angustum compulsi hac ratione desperata in carmina ipsa inquisiverunt ex iisque rationem digerendi hauserunt; quod opus nisi plene et absolute peractum esset eo magis negabant fieri posse ut certum de tempore natalicio carminum iudicium formaretur quo artiore vinculo elegiae in Deliam et in Marathum scriptae inter se cohaererent.

Alii testimoniis historicis fere neglectis carmina arte et perfectione mensi ea quae minus perfecta et expolita videbantur prioribus annis aetatis Tibulli tribuerunt, cetera posterioribus; quo factum est ut ordo ab eis constitutus testimoniis historicis quibus quamvis perpaucae sint tamen adhuc uti licet, saepenumero repugnet.

Recentissime Fredericus Leo [1]) omnes has rationes carmina digerendi et ordinandi reiecit negans amorum fabulas quas qui adhuc Tibulliana carmina interpretati sunt animo sibi finxissent aut conexum in compluribus carminibus sententiarum aut testimonia historica nobis ansam praebere rectam carminum digerendorum, quoniam non veri esset simile Tibullum sicut se revera haberet amorem Deliae expressisse sed alio carmine aliam

1) Philolog. Unter-uch. hgg. von Kiessling u. Ulr. v. Wilamowitz-Möllendorff vol. II.

puellae imaginem cogitatione menteque sibi effinxisse nobisque repraesentavisse. Satis habet vir d. dixisse unumquodque carmen Tibullianum opus per se perfectum et absolutum esse et affirmavisse sibi esse persuasum omnia carmina libri primi nata esse a. 725.

Quem si sequemur videtur nobis ab ordine constituendo prorsus desistendum esse. Concedamus Leonem propter varietatem ordinum a viris d. constitutorum suo iure arbitrari sibi visum esse rationes adhuc initas falsas esse; sed tamen non desperandum videtur; immo quoniam Leoni quoque quod carmen ex cogitatione poetae ceteris prius esset respiciendum erat, conemur si testimoniis historicis iterum perpensis et argumentis carminum diligenter consideratis probabilem ordinem constituere possimus. Haec enim duo officia mihi quidem non dubium videtur quin quicunque talem quaestionem ad liquidum perducere animum induxerit ei praestanda sint.

II.

Sed priusquam ad ipsam rem aggrediamur pauca nobis memoranda videntur de Tibulli aetate de qua certo testimonio caremus ita ut quaecunque de ea proferri possunt et prolata sunt nitantur coniecturis eisque incertis. Itaque quoniam, nisi de hac re probabilia saltem assecuti sumus, carminum tempora ut satis recte ponamus fieri non potest, virorum d. de vitae tempore Tibulli quaestiones iterum perpendere et quantum fieri potest aetatem poetae certis terminis circumscribere nunc in animo habemus.

Iam permultae sunt virorum doctorum de hac re computationes quorum quamquam suam quisque speciosis argumentis ornare et stabilire studuit tamen maxime mihi probavit sententiam suam O. Fr. Gruppius[1]) qui errores eorum qui in hac re excutienda ei antecesserant probe refutavit. Sed videamus ipsi quomodo res se habeat.

Gravissimum testimonium anni natalis Tibulli definiendi praebet Ovidius qui eo loco ubi elegiae latinae principes ordine servato enumerat (trist. IV, 10, 51 sq.) haec habet:

Vergilium vidi tantum, nec avara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.

---

1) Roem. Eleg. p. 251 sq.

Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi,
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Unde perspicitur Tibullum in elegiis componendis successisse Cornelio Gallo quem notum est[1]) propria se manu interfecisse quadragesimum quartum aetatis annum agentem, anno igitur a. u. c. 685 natum esse, atque antecessisse Tibullum Propertio cuius natales in annum 706 vel 707 incidisse probavit Lachmannus.[2]) Ex quo manifestum est natales Tibulli inter annum 685 et 707 esse ponendos, id quod omnes viri d. qui in hanc rem inquisiverunt, quamquam alius alium annum natalem proferebat suis quisque causis rem confirmare studens, tamen recte iudicaverunt. In quibus conatibus cum nihil sua probabilitate niteat singillatim recensere nihil attinet. Unus Gruppius quem secuti sunt Teuffelius[3]) Hankelius[4]) alii, probabilem de hac re protulit sententiam. Verisimile enim putavit ille vir doctus Tibullum natum esse intra annos 700 et 705 epigrammate quodam nisus Domitii Marsi qui ipse Augusti temporibus florebat, unde perspicitur Tibullum non ita multo post Vergilium in ipso aetatis flore decessisse. Epigramma Domitii est hoc:

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios,
Ne foret aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Atqui Vergilium notum est (cf. Donat. vit. Verg.) a. d. XI. Kal. Octobr. anni 735 vita esse defunctum, unde necessario sequitur Tibullum et ipsum aut eodem anno aut initio sequentis diem supremum obiisse. Neque cum hoc teste iuvenis obierit Tibullus fieri potest ut natalicium annum ultra a. 700 proferamus; neque enim quidquam causae est cur cum Vossio existimemus, quicunque annum quadragesimum sextum non excessissent eos ex instituto quodam Servii Tullii iuvenes esse appellatos. Contra si Tibullum vitam degisse statuimus intra annos 700 vel 705 et 735 vel 736, illi computationi omnia concinunt quae de Tibullo nobis nota sunt.[5])

1) cf. Hieronym. chron. ad a. 728.
2) cf. praef. edit. Propert. p. 26.
3) stud. u. charact. p. 344 sq.
4) act. soc. phil. Lips. 1875.
5) Tibullum iuvenem mortuum esse etiam vita eius codicibus antiquis

III.

Jam vero ex ipsis carminibus rationes eorum temporum definiendi nobis quaerentibus dolendum est certis historiae testimoniis fere nos destitutos esse. Nam et quae de bello Aquitanico cui Tibullus se ipse interfuisse dicit de eaque expeditione quam Messala in Asiam fecit in carminibus extant, tam sunt dubia ut quidquam certi ex iis colligi non queat; neque quamvis Messalae triumphus quem ex fastis Capitolinis apparet actum esse a. 727 in carminibus commemoretur ab eodemque via Latina post triumphum e manibiis strata, tamen multum ex hoc lucri ducere possumus quoniam quo anno hoc bellum ex quo Messala triumphavit gestum aut confectum sit non satis compertum habemus. Quamobrem cum ex Tibulli ipsis carminibus nihil aliud eruatur nisi familialiter eum usum esse M. Messala et participem fuisse belli Aquitanici necesse esse putamus diligentissime inquiri in argumenta de huius belli tempore ex historia repetita, in quo accurate circumscribendo apparet quasi cardinem totius quaestionis versari.

Ac primum quidem dolendum est unum tantum ex antiquis scriptoribus de hoc bello aliquid memoriae tradidisse. Appianus enim solus cum alia de Messsala tum haec habet (bell. civ. IV, 38). *Ὁ δὲ (Καῖσαρ) ὕπατόν τε ἀπέφηνεν ἀντὶ Ἀντωνίου ἀποχειροτονηθέντος, ὅτε αὖθις ἐψηφίζετο. εἶναι πολέμιος, καὶ περὶ Ἄκτιον ναυαρχήσαντα κατὰ τοῦ Ἀντωνίου στρατηγὸν ἔπεμψεν ἐπὶ Κελτοὺς ἀφισταμένους καὶ νικήσαντι*

---

tradita confirmatur. Neque tamen hac re mihi quidem persuadetur ut illi vitae quidquam tribuam ponderis. Nam quaecunque auctor eius narrat de Tibulli vitae cursu ac conditione aut e Tibulli ipsis carminibus aut ex aliis fontibus hausta sunt quibus uti etiam nunc licet Velut ea quae de forma cultuque corporis Tibulli tradit sine dubio hausta sunt ex Horatii epistula I, 4 ad Albium Tibullum scripta. Nihil fere inest quod non aliunde ipsi discamus. Duae tantum res sunt quae apud eum solum inveniuntur quarum una est haec quod Tibullum dicit equitem Romanum fuisse, altera quod tradit eum bello Aquitanico donis militaribus esse exornatum. Sed ea ipsa de causa quod hae res apud eum solum extant, vehementer dubito, num revera ita se habeant. Certe ex hac re quod ibi Tibullus eques Romanus appellatur nihil cum specie veri concludi potest. Atque quod dicit Tibullum donis militaribus exornatum esse hoc certe falsissimum est. Neque enim ullo modo evinci potest Tibullum militari munere functum esse. Sed de his rebus accuratius disputabimus cum quaestio longius processerit.

ἔδωκε θριαμβεῦσαι. Quem locum Appiani alii viri docti alium in modum interpretati sunt. Ac plurimi quidem inde necessario sequi putabant Messalam inde a pugna Actiaca statim ad Aquitanos qui ab officio defecerant debellandos ab Octaviano missum esse, anni igitur 723 auctumno bellum Aquitanicum esse susceptum et ita ratiocinantes hoc bellum idem esse opinati sunt atque id quod in elegia decima Tibulliana quae omnium consensu omnium libri primi elegiarum prima scripta est commemoratur, quam rationem secuti elegias libri primi in ordinem redegerunt. Quodsi ita res se haberet mirum certe esset cur Messala bello finito non eodem aut postero anno Romam reversus triumpharet cum praesertim Augustus bello cum Antonio confecto a. 725 et C. Carrinas a. 726 ex Gallia triumphi honores adipiscerentur, sed Messalae triumphus usque ad a. 727 differretur. Quo scrupulo ut quaestio liberaretur hanc causam triumphi sic dilati viri d. attulerunt, quod Messala bello Aquitanico confecto nulla mora interposita ab Octaviano in Asiam missus esset ut gentes civitatesque quae ibi Antonio addictae fuerant, in eius potestatem redigeret, unde Romam non revertisset priusquam triumphum ageret i. e. a. 727. Nixi sunt qui pro hac computatione pugnant, loco quodam Dionis Cassii qui in eis quae post pugnam Actiacam in Asia Aegyptoque acciderunt enarrandis (hist. Rom. 51,7) haec habet: '*Καί μοι θαυμάσαι ἐπέρχεται ὅτι ἄλλοι μὲν συχνοί, καίπερ πολλὰ παρ᾽ αὐτῶν εἰληφότες, ἐγκατέλιπόν σφας, οἱ δὲ ἐπὶ ταῖς ὁπλομαχίαις ἐν τοῖς ἀτιμότατα τρεφόμενοι προθυμίᾳ τε εἰς αὐτοὺς πλείστῃ ἐχρήσαντο καὶ ἀνδρειότατα ἠγωνίσαντο. Οὗτοι γὰρ ἐν Κυζίκῳ πρὸς τοὺς ἐπινικίους ἀγῶνας, οὓς ἐπὶ τῷ Καίσαρι ἄξειν ἤλπιζον, ἀσκούμενοι, τότε ἐπειδὴ τάχιστα τῶν γεγονότων ᾔσθοντο, ὥρμησαν ἐς τὴν Αἴγυπτον ὡς καὶ βοηθήσοντες αὐτοῖς, καὶ πολλὰ μὲν τὸν Ἀμύνταν ἐν τῇ Γαλατίᾳ, πολλὰ δὲ καὶ τοὺς τοῦ Ταρακονδιμότου παῖδας ἐν τῇ Κιλικίᾳ, φίλους μέν σφισιν ἐς τὰ μάλιστα γενομένους, τότε δὲ πρὸς τὰ παρόντα μεταστάντας, πολλὰ δὲ καὶ τὸν Δίδιον κωλύοντά σφας τῆς διόδου ἔδρασαν. Οὐ μέντοι καὶ διαπεσεῖν ἐς τὴν Αἴγυπτον ἠδυνήθησαν, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ πανταχόθεν περιεστοιχίσθησαν, λόγον μὲν οὐδ᾽ ὣς οὐδένα, καίτοι τοῦ Διδίου συχνά σφισιν ὑπισχνουμένου, προσεδέξαντο, τὸν δὲ Ἀντώνιον μεταπέμψαντες, ὡς καὶ ἐν τῇ Συρίᾳ ἄμεινον μετ᾽ αὐτοῦ πολεμήσοντες, ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ ἐκεῖνος μήτ᾽ αὐτὸς ἦλθε*

μήτ' ἀγγελίαν τινὰ αὐτοῖς ἔπεμψεν, οὕτω δὴ νομίσαντες αὐτὸν ἀπολωλέναι καὶ ἄκοντες ὡμολόγησαν ἐπὶ τῷ μηδέποτε μονομαχῆσαι, καὶ τήν γε Δάφνην παρὰ τοῦ Διδίου, τὸ τῶν Ἀντιοχέων προάστειον, ἐνοικεῖν μέχρις ἂν τῷ Καίσαρι ταῦτα δηλωθῇ ἔλαβον.

His enarratis sic pergit Dio:

Καὶ οἱ μὲν ὑπὸ τοῦ Μεσσάλου ὕστερον ἀπατηθέντες ἐπέμφθησαν ἄλλος ἄλλοσε ὡς καὶ εἰς τὰ στρατόπεδα καταλεχθησόμενοι, καὶ ἐκ τρόπου δή τινος ἐπιτηδείου ἐφθάρησαν. — Quibus ex verbis viri d. collegerunt gladiatores postquam domicilia a. 723 accepta complures annos possedissent tum demum a Messala iubente Augusto occisos esse, Messalam igitur bello Aquitanico confecto in Asiam profectum ibi per complures annos commoratum esse atque sub hoc tempore occasione data Caesarem timore novarum seditionum quas homines eius modi facile sollicitare poterant gladiatoribus extinctis liberavisse. Rebus deinde in Asia — qua potestate ignoratur — compositis Messalam a. 727 Romam rediisse virtutisque honores et praemia esse adeptum.

Contra hanc sententiam pugnat Hankelius[1]) qui, nisi me fallit, Fischerum[2]) secutus negat ex Appiani verbis necessario sequi Messalam extemplo inde a pugna Actiaca in Aquitaniam missum esse. Neque enim quidquam aliud ex Appiano colligi posse nisi bellum post pugnam Actiacam susceptum esse et ante triumphum confectum. Neque quando ortum neque quo tempore confectum sit inde satis apparere; quam sententiam eo praecipue adiuvari putat quod Graeci scriptoris verba non in continua rerum gestarum Messalae enarratione afferantur, sed in eis tantummodo breviter adumbrandis quae Messala magna ediderit. Ex verbo autem Dionis *ὕστερον* colligit Hankelius Messalam initio anni 724 in Asia versatum esse et hoc anno gladiatoribus extinguendis operam navavisse ex eaque re quod triumphus a Messala a. demum 727 actus est statuit bellum Aquitanicum gestum esse anno 725 vel 726.

Quae cum maximam partem recte disputata sint, tamen in eo non assentior, quod vox *ὕστερον* ad initium anni 724 referri potest. Nam si scriptor graecus tam breve spatium

1) l. c. p. 81 sq.
2) Roem. Zeittafeln p. 381.

temporis significare voluisset, verisimile est eum non ὕστερον sed οὐ πολλῷ ὕστερον i. e. „non ita multo post" scripturum fuisse. Immo ita res me quidem iudice se habet: Dio ipse ignorans quando gladiatores a Messala trucidati sint voce incerta ὕστερον utitur quae nihil significat nisi ,postero quodam tempore i. e. zu irgend welcher spaeteren Zeit. Nam manifesto hic est sententiarum conexus in Dionis capite LI.: ,Postquam gladiatores Antonio opem ferre a Didio prohibiti sunt, ab eo agros acceperunt. Ea conditione ut non essent posthac gladiatores illi se tradunt ac per aliquod tempus in agris sibi assignatis vitam quieti degunt. Postero autem quodam tempore — quando id factum sit Dio in incerto relinquit — a Messala occasione data trucidati sunt.' Quo tempore haec caedes facta sit accuratius definire conabimur, ubi de Messalae in Asiam expeditione dicendum erit; hoc tamen affirmari potest ad a. 724 caedem gladiatorum propter vocem ὕστερον referri non posse.

Sed suo iure causam apparere Hankelius negat cur Messala, si reapse annis 723 et 724 Aquitanos profligavit, non anno 725 bello civili confecto triumphaverit. Neque probabilis est ratio eorum qui bellum Aquitanicum in hos annos referentes triumphum ea de re dilatum esse volunt quod ex Gallia Messala evocatus statim ad res in Asia gerendas profectus esset ita ut ei neque tempus neque occasio triumphum agendi daretur; nam huius rei certa testimonia nos plane deficiunt. Neque hanc in rem me quidem iudice quadrat exemplum quod L. Wiesius[1]) Ayrmanno[2]) auctore affert Agrippae, qui cum in Gallia a. 717 res bene gessisset eique triumphus esset concessus, a Caesare mox ad bellum Siculum conficiendum evocatus triumpho ad tempus omisso omni studio in provinciam sibi mandatam incubuit, cum turpe putaret esse, si re a Caesare infeliciter gesta ipse exultaret.[3]) Cui exemplo non tantam vim tribuo quantam Ayrmannus ac Wiesius, quod etiam a Caesare tum temporis rebus optime gestis nihil causae erat cur Messalla non triumpharet, cum praesertim Caesar ipse a. 725 ex proximis bellis triumphos tres ageret.

Quae cum ita sint a re ac veritate non putamus nos

1) de M. Valerii Messalae vita ac studiis doctrinae. Berol. 1829.
2) de vita ac scriptis Tibulli. 1719.
3) cf. Dio Cass. h. R. 48,49.

aberrare bellum Aquitanicum statuentes a. 726 vel 727 gestum esse. Qua in re habemus nobiscum facientem Mommsenum qui[1]) et ipse bellum Aquitanicum anno 726 vel 727 tribuit illo quidem loco causas non afferens sed ut mihi quidem videtur legibus permotus quae de triumpho agendo latae et sancitae erant de quibus ille vir sagacissimus docte et diserte disputavit in libro de iure publico Romano scripto[2]) e quo liceat nobis locum afferre, quo sententiam nostram de tempore belli Aquitanici haud leviter confirmari putamus. Verba Mommseni sunt l. c. haec:

„Niemals wird der triumph von einem privaten gefeiert, sondern er ist immer ein in die continuität der amtlichen function, ja sogar nach strengem recht in die continuität derselben kriegsauspicien fallender act.“

Bello igitur Aquitanico a. 723 posito Messala a. 727 putandus esset magistratu atque imperio se iam abdicavisse et ita contra legem triumphum egisse, id quod non veri est simile.[3])

Atque sunt nonnulla quae Hankelii computationi bellum Aquitanicum annis 725 et 726 tribuentis repugnant. Horum enim annorum priore templum Jani clausum fuisse notum est; qua quidem re Hankelius negat sententiam suam infringi, cum Dio Cassius qui Jani clausi mentionem fecerit ipse auctor sit ne tum quidem bellorum intermissionem fuisse; sed recte monuit Baehrensius[4]) a Dione nullas alias gentes quibuscum populus Romanus etiam tum bellum gereret commemorari nisi praeter Treviros populos in Hispania Tarraconensi habitantes; atque etiam aliud succurrit argumentum. Dio enim postquam eas gentes quae etiam tum in armis erant enumeravit haec verba subnectit (LI,20). *Καὶ οὗτοι μὲν ὑπὸ τοῦ Ταύρου τοῦ Στατιλίου, ἐκεῖνοι δὲ ὑπὸ τοῦ Νωνίου Γάλλου κατεστράφησαν· ἄλλα τε ὡς καθ᾽ ἑκάστους ταραχώδη συχνὰ ἐγίγνετο, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ μηδὲν μέγα ἀπ᾽ αὐτῶν συνηνέχθη, οὔτε*

1) Res gest. div. Aug. ed. Mommsen 1865 p. 71.

2) Röm. Staatsrecht I p. 124.

3) Huc accedit quod vetitus erat legibus triumphalibus ante triumphum in urbem introire triumphaturus, id quod ex Plutarcho aliisque auctoribus luculenter apparet (cf. Momms. l. c.); qua re refellitur Baehrensii sententia qui (Tibullische blätter p. 20) statuit Messalam circa autummum anni 724 ex Gallia Romam revertisse ibique per hiemem commoratum vere ineunte in Asiam profectum esse.

4) l. c. p. 12.

ἐκεῖνοι τότε πολεμεῖσθαι ἐνόμιζον οὔτε ἐγὼ ἐπιφανές τι περὶ αὐτῶν γράψαι ἔχω. Bellum autem Aquitanicum inter parvos tumultos non numerandum esse vel inde apparet quod ex hoc Messalae triumphus decretus est. Hunc enim ob levia proelia non esse solitum decerni auctor est Livius qui[1]) legem affert qua cautum sit ne quis triumpharet nisi qui quinque milia hostium una acie cecidisset.[2])

Per totam vero Aquitaniam Messalam arma tulisse fidem faciunt nomina a Tibullo relata (el. I, 7,3 -8) eorum locorum quae in Aquitania Tibullus una cum Messala adiit, quippe quae per totam terram pertineant. Anno igitur 725 bellum Aquitanicum gestum esse non potest. Contra omnia concinunt, si id ad a. 726 et 727 referimus.

Nam cum elegia septima libri primi Tibullus Messalae diem natalem cum eoque simul eum diem quo victoria apud Atacem parta est et triumphum paulo antea ex hac victoria actum celebret, necesse est iudicemus, cum natales Messalae in autumnum inciderint, pugnam apud Atacem autumno anni 726 commissam esse. Quaerat hic quispiam cur Messala Aquitanis hac pugna devictis non anno 726 vel initio anni 727, sed autumno demum huius anni triumphaverit; cui respondendum est veri esse simile bellum Aquitanicum victoria apud Atacem reportata non statim confectum esse sed etiam alios populos Aquitanis finitumos qui seditiones movebant subigendos fuisse priusquam provincia pacata videri posset; unde probabile est Messalam etiam extremam partem anni 726 magnamque anni 727 in provincia imperio Romano omnino subicienda consumpsisse. Cui sententiae opitulatur quod bellum Aquitanicum non res parvi momenti censenda est; id quod iam supra demonstravimus.

Sed hic locus non praetermittendus videtur quin accuratius inquiramus in complurium doctorum sententiam Messalam in Aquitania proconsulari potestate res administrasse putantium. ‚More Romanorum‘ inquit Ayrmannus[3]), ‚ante Augusti *μοναρχίαν* consueto cum consules designarentur provinciae pariter eis decernebantur proconsulares iidem-

---

1) lib. 40,48.
2) cf. Momms. Staatsrecht I p. 131
3) l. c. § 39 p. 56.

que statim defuncti annuo munere in eas cum imperio ibant. Demandata procul dubio Messalae iam tum erat provincia Gallia Narbonensis.' Quem secutus est Wiesius (l. c.) nec non Hankelius (l. c.) qui quoniam ut supra diximus bellum Aquitanicum annis 725 et 726 tribuit hanc viam ex hoc discrimine effugiendi instituit ut Messalam contenderet propter bellum cum Antonio gerendum non statim ubi primum defunctus esset consulatu in provinciam quam sortitus esset ire potuisse sed ex Asia ubi cum Octaviano commoratus esset reversum a. demum 725 accepisse ab eo provinciam Galliam Narbonensem, cum in Belgica provincia administranda eodem fere tempore Nonius Gallus excepisset C. Carrinatem inde decedentem. Totam enim Galliam a Julio Caesare a. fere 709 in duas partes esse divisam, quam divisionem Octavianum etsi a. 715 Agrippae totam Galliam commisisset tamen ante a. 729 non videri sustulisse. — Hoc sane rectum est; attamen rationibus ab Hankelio allatis mihi quidem persuaderi non potest proconsulari potestate Messalam praefuisse provinciae Galliae, in quem errorem viri docti haud dubie ea re ducti sunt quod voluerunt rectum ordinem munerum publicorum quibus functus est Messala constituere Certe Messala in aliqua provincia pro consule fuit; neque tamen evinci potest Narbonensi Galliae hoc imperio eum praepositum fuisse. Neque id recte ex fastis Capitolinis, in quod quasi ultimum refugium aliquis possit se recipere, recte perspicitur. Hi quidem sic exhibent:

M. Valerius M. F. M. N. Messala a. 726
Corvinus Pro. Cos. Ex. Gallia. VII. Kal. Oct.

sed nemo nunc ignorat non significari in fastis Capitolinis solitum esse eum magistratum quem triumphaturus tum obtinuisset cum summos honores mereretur, sed eum qui ei die triumphali contingeret. (cf. Momms. l. c. p. 127, not. 3.) Itaque verisimilius mea sententia videtur eum cum imperio extraordinario ad Aquitanos a Caesare missum esse ut rem eius auspiciis, non suis gereret, reversum autem a Caesare proconsulari potestate sed in triumphalem tantum diem exornatum esse. (cf. Momms. l. c. p. 127 not 3. 5.: Das am schlusse vollstaendige verzeichnis der triumphe führt nach dem aktischen bis zu dem am 26. Januar 728 gefeierten des Sext. Apuleius ex Hispania eine anzahl von triumphen auf, die nur auf stellvertretendes com-

mando bezogen werden können und auf diese geht es was Dio LIII,12 im gegensatz zu Agrippa bemerkt: *οἱ μὲν λῃστὰς συλλαμβάνοντες οἱ δὲ πόλεις στασιαζούσας καταλλάσσοντες καὶ ἐπωρέγοντο τῶν νικητηρίων καὶ ἔπεμπον αὐτά. ὁ γὰρ Αὔγουστος καὶ ταῦτα ἀφθόνως τισὶ τήν γε πρώτην ἐχαρίσατο.* In quo numero Messalae quoque triumphus extat.) Neque ex Appiani verbis quae sunt *ναυαρχήσαντα ἔπεμψεν στρατηγὸν ἐπὶ Κελτούς* sequitur Messalam pro consule contra Aquitanos missum esse; immo mea quidem sententia ex illis verbis luculenter apparet eum cum imperio extraordinario eo ivisse. Nam *ναυαρχήσαντα ἔπεμψεν στρατηγὸν ἐπὶ Κελτούς* nihil significat nisi ‚postquam classi praefuit misit eum ducem belli contra Aquitanos.‘

Videmus igitur infirmas esse causas quibus viri d. adducti sunt ut Messalam putarent pro consule Galliae praefuisse. Contra nihil repugnat ei opinioni qua eum in Syria Ciliciaque munere proconsulari functum esse iudicemus. (Has provincias interdum sub uno eodemque imperio fuisse auctor est Dio Cassius LIII, 12 cf. Marquardt, röm. staatsverwaltung I 229.)

Ac primum quidem verisimile est eo tempore quod anno consulari proximum erat provinciam Messalam administrasse; ex nostra autem computatione sequitur eum res in Oriente ante bellum Aquitanicum gessisse; tum autem, id quod attente legentem effugere non potest, ex Dionis verbis satis clare apparet Messalam Syriae praesidem fuisse. At ex eo ipso manifestum est a. 724 Q. Didium Syriae praefuisse. Verum enim vero scriptor graecus non dicit Q. Didium toto hoc anno Syriae praefuisse; neque negat Messalam eodem anno Syriae praefectum fuisse; immo indicat. Nam sensus verborum huius scriptoris loco saepius citato procul dubio est hic: ‚Gladiatores postquam a Q. Didio qui tum a. 723/24 praeses Syriae erat, domicilia acceperunt, postero quodam tempore (cf. p. 10) a Messala cum hic provinciae praeesset crudeliter trucidati sunt.‘ Iam cum neque compertum habeamus quando Q. Didius legatus Caesaris ex provincia decesserit et omnino difficile sit spatium muneris proconsularis certis temporibus circumscribere quoniam proconsul tum demum officia sua subire solebat cum in provinciam ingressus erat,[1]) licet conicere

1) cf. Momms. Staatsrecht II² p. 187, 231.

Messalam inde a vere anni 724 usque ad idem fere tempus anni 725 pro consule in Syria fuisse. (Adde quod Messalam Tibullo auctore (cf. I 3,2) cohors comitabatur, cuius ubi mentio fit non dubium est quin de proconsule agatur. Inter omnes enim constat tum temporis eos qui pro consule vel pro praetore in provinciis res administrabant non solum numerum quendam iuvenum nobilioribus locis natorum secum habere solitos esse qui rationem belli gerendi vel provinciae administrandae cognoscerent vel in iudiciis assessorum partibus fungerentur, sed saepe etiam sibi devinxisse unum vel complures viros omni doctrina eruditos quorum ex usu cotidiano inter belli labores et pericula fructum et oblectationem animi sumerent, qui comitatus ducis cohors vel cohors amicorum vel comitum appellari solebat.[1])

Sed quid fecit Messala per spatium temporis quod interest inter pugnam Actiacam et ver anni 724 quo diximus eum ingressum esse provinciam proconsularem? Sine dubio particeps fuit tum temporis ultimorum in Aegypto certaminum; (eum ibi versatum esse elucet e Tibulli elegia 7); cui sententiae non obstat quod Tibullus hoc tempore (id quod infra videbimus) Corcyrae relictus sine se comites per mare Aegaeum vecturos esse queritur, id quod qui adhuc carmina Tibulli interpretati sunt omnes ad iter in Syriam faciendum rettulerunt; nam eodem iure ad iter in Aegyptum referri potest, quo eadem fere via proficiscendum erat qua in Syriam. Re in Aegypto decertata Messala proconsulatum iniit. Occasione data gladiadores exstinxit eaque re Augustum in perpetuum timore liberavit eorum hominum qui periculosi videbantur et novam seditionem facile moturi. Proconsulari munere per annuum tempus functus a. 725 Romam rediit fortasse cum Augusto ibique commoratus est usque dum ad Aquitanos debellandos missus est.

Hic igitur evadit ex nostris rationibus cursus Messalae vitae intra annos 723 et 727. Postquam apud Actium parti cuidam classis praefuit profectus est in Aegyptum ubi interest ultimis in Antonianos proeliis. Re debellata praeest Syriae Ciliciaeque proconsulari potestate. Anno 725 Romam redit. Sequenti autem anno mittitur ut

---

1) cf. Marquardt, röm. Staatsverw. I p. 392 Cattull. 10,7. 38,9.

Aquitanos quos defecisse nuntiatum erat in potestatem Romanorum redigat. Pugna apud Atacem commissa est autumno anni 726. Anno 727 Aquitanis devictis Romam reversus triumphum egit.

IV.

His rebus quasi fundamento totius operis constitutis transeamus ad carmina ipsa et quid ex iis huic quaestioni dirimendae lucremur videamus. Ex quibus gravissimum nobis praebet testimonium elegia septima libri primi qua poeta triumphum Messalae a. 727 actum celebrat simulque eius diem natalem sub idem fere tempus incidentem. Initio a victoria Aquitanica ducto poeta Messalae laudis testes citavit Cydnum flumen, Taurum montem, columbarum in Syria greges, Tyrum urbem navigii peritissimam, Nilum flumen; ex quibus omnibus facile cognosces Messalam in Syria, Cilicia, Aegypto commoratum esse. Sed hoc rerum tenore non debebat Baehrensius putare pondus quoddam addi eorum sententiae qui bellum Aquitanicum ante res in Syria Ciliciaque gestas ponunt, atque consulto hunc ordinem a poeta temporis ratione habita servatum esse. Equidem Tibullo tale quidquam in mentem venisse nego. Suo enim iure poeta orditur a victoria Aquitanica non quod tempore antecesserit rebus in Oriente gestis, sed quia proxima ac summa laus diei in hac victoria erat posita; die enim natali suo, ut iam supra commemoravimus, anno priore Messalam Aquitanos apud Atacem profligasse Tibullus claris verbis indicat. Itaque procul dubio cum praesertim carmen pangeret natalicium, id ipsum primo loco poeta ponere debebat quo potissimum excitatus erat ad id componendum.

Praeter haec autem testimonia nullum fere extat in Tibulli carminibus ex quo eorum tempori aut ordini lux aliqua affulgeat. Nam quae dixit (c. 1,53) de bello a Messala gerendo, (c. 2,67) de catervis Cilicum eorumque duce et quae tradidit (el. 3) de expeditione Asiatica et (el. 10) de bello quodam ignoto tam contracta tamque obscura sunt ut haud magno lucro sint huic quaestioni excutiendae.

Itaque merito viri d. hanc rationem ac viam inierunt ut diligentissime in ipsa argumenta carminum et sententias inquirerent ut ex his rationes ordinis recte constituendi sumerent.

Peropportune autem accidit quod libri primi Tibulliani fere omnia carmina argumenti necessitudine inter se coniuncta sunt. Nam ex decem illis elegiis quas liber primus continet, quinque si non omnes in Deliam scriptae sunt attamen in uno eodemque argumento, Deliae amore, versantur, itemque res se habet in elegiis 4. 8. 9. quae in Marathum puerum scriptae sunt. In quibus carminibus cum poetam, ut mos est lyrici et elegiaci, omnes suos sensus animique commotiones integre descripsisse veri sit simile, fieri potest ut ex progressu rerum et sententiarum in singulis iudicium faciamus de eo ordine quo a poeta composita sunt.

Sed alii viri d. cum alio sensu sententias Tibulli perciperent et interpretarentur factum est ut iudicia eorum mirum quantum inter se variarent. Neque aliter res se habet in iis carminibus quae nullo argumenti vinculo cum ceteris coniuncta sunt. Nam etsi in eis ipsis gravissima extant argumenta quae ansam nobis praebeant suum cuique in libro locum assignandi, tamen etiam de his adhuc a viris d. dubitatur necdum quaestio profligata est.

Sed priusquam virorum d. varias sententias singillatim recenseamus pauca praemonenda videntur de ea ratione quam in hac quaestione explananda nonnulli docti inierunt eamque si sequamur fieri non potest quin in eosdem errores gravissimos incurramus ac reapse illos viros incurrisse certis me spero argumentis probaturum.

V.

Poetas scriptoresque omnes ab imperfectis ad perfecta, a parvis ad maiora gradatim ac pedetemptim escendere atque progredi nemo est qui nesciat; neque mehercle merito quisquam Tibullum contendat a primo tirocinio perfectum et absolutum poetam fuisse; verum tamen cavendum est, ne hanc rationem in carminibus digerendis sequaris quae hac in re certe lubrica et satis dubia est ab eaque nulla utilitas capi potest cum neque veri sit simile poetam quaecunque pepigisset ea omnia in lucem prodidisse ita ut plane perspiceretur quos gradus fecisset priusquam ingenium convalesceret, neque probabile sit carmina nobis tradita quippe quae brevi fere spatio composita sint tantum compositione et

oratione inter se differre ut ex his illorum ordo recte constitueretur.

Quae cum ita essent tamen Teuffelius [1]) in carminibus Tibullanis ordinandis non veritus est hac ratione ac via progredi quod quanto detrimento vir d. fecerit nunc consideremus. Profectus igitur a panegyrico in Messalam misso quem quidem putat opus iuvenile attamen vere Tibullianum nec non summi momenti esse in vita Tibulli recte describenda tres distinxit gradus quibus poeta ad summam perfectionem ascendisset eorumque primo tribuit panegyricum ipsum et elegiam septimam, secundo carmina in Marathum scripta et decimum, tertio ea quae in amore Deliae versantur. Septimam igitur elegiam primam omnium quas continet liber primus compositum esse iudicat. Nam iisdem fere vitiis eam laborare quibus panegyricum id quod multis causis allatis comprobare studuit de quibus cum quaestio ad elegiam septimam accuratius perspiciendam pervenerit pluribus disseram. Post eam composita videntur Teuffelio carmina in Marathum scripta et elegia decima quae quidem non omnibus numeris absoluta sint, panegyrico tamen et elegiae septimae compositione et oratione aliquantum antecedant. Qua argumentatione quandoquidem dubitari non potest quin elegia septima a. 727. composita sit coactus est vir d. ut bellum quoddam excogitaret ad quod elegia decima apte referatur. Statuit igitur anno fere 729 Tibullo eundum fuisse una cum Messala ad bellum in Asia gerendum quam quidem sententiam certis rationibus omisit stabilire. Idem ille nullo auctore asserit circa a. 730 Tibullum iterum Messalam in bellum comitatum esse ad quod refert elegiam primam ac tertiam. Quae omnia certe falso disputata sunt. Nulla enim ratione evinci potest Messalam post triumphum a. 727 actum alibi praeterquam Romae vel in praedio suo versatum esse; immo inde ab anno 727 Messala a publicis negotiis prorsus abstinuisse putandus est; id quod vel inde luculenter apparet quod munus sibi a. 728 ab Augusto demandatum quam dicimus urbis praefecturam [2]) sexto iam die deposuit. Quo magistratu ex Dionis verbis [3])

1) Stud. et charact. p 352 sq.
2) cf. Tac. ann. VI,11.
3) XLIX 16, LI,3.

satis clare elucet Augustum praetorum ius frangere voluisse, Messala autem etsi pro rei publicae quae tum erat condicione Augusti imperium non modo non improbabat sed etiam stabilire studebat tamen se indignum putabat eum magistratum gerere quem ad libertatem patriae opprimendam et maiorum instituta vertenda constitutum esse omnibus in promptu manifestumque erat. Itaque iam tum multorum aequalium exemplum secutus curas publicas et honores misit otioque litterarum totum se tradidit.

Haec sunt quae Teuffelii coniecturae de bellis post a. 727 a Messala gestis prorsus repugnent. Ac ne in ea quidem re illi viro d. assentior quod, si statuatur elegias libri primi intra annos 724 et 727 esse compositas, desiderari putabat carmina quae ultimis annis Tibulli aetatis tribueremus. Habemus totum librum secundum qui sex elegias continet totumque excepto panegyrico librum quartum qui permagnum numerum (13) carminum ut mihi quidem videtur vere Tibullianorum complectitur quae haud dubie ultimis aetatis Tibulli annis nata sunt. Videmus igitur Teuffelium illa opinione qua putabat fieri posse ut ex oratione et compositione singulorum carminum eorum ordo certus constitueretur seductum usque eo pervenisse ut pro veris commendaret quae ne speciem quidem veritatis prae se ferunt.

Neque magis Hankelius qui eadem ratione in carminibus digerendis usus est errores cavit quam Teuffelius. Hic etsi paullo rectius quam ille constituit ordinem carminum eorumque tempora natalicia tamen eius quaestioni subest gravissimum vitium in quo detegendo nunc parumper commoremur.

Quaecunque igitur Hankelius de carminibus Tibullianis in rectum ordinem redigendis protulit ea dissertationi suae addidit qua probare studebat panegyricum opus vere Tibullianum esse.[1]) Cui negat ullum carminum aliorum multo et sententiarum nexu et compositionis elegantia superiorum brevi tantum spatio successisse. Atque cum ei ex Appiani verbis subobscuris et Dionis voce ὕστερον a compluribus viris d. male explicata dubitatio quaedam subnasceretur num ordo rerum illis temporibus gestarum a doctis recte esset constitutus hanc rem in subtiliorem vocavit quaestionem eisque

1) Act. soc. phil. Lips. 1875. p. 45 sq.

de causis quas supra attuli bellum Aquitanicum anno demum 725 vel 726 gestum esse statuit, postquam per aliquod tempus Messala in Oriente versatus esset. Quod bellum cum susciperetur elegia decima ei videtur a Tibullo scripta esse; id quod non repugnat rationi eius qua usus est in carminibus ordinandis; nam interest inter panegyricum, opus istud imperfectum, et hanc melioris notae elegiam intervallum trium fere annorum. Qua de elegia disserens recte adversatus est vir d. Teuffelio eam post septimam scriptam esse putanti. Commode enim Hankelius demonstravit quaecunque in hac elegia de bello extarent ea omnia non in militem exploratae virtutis cadere. Nequaquam enim qui iterum belli pericula subiturus esset eum dicere potuisse:

Sed patrii servate Lares; aluistis et idem
Cursarem vestros cum tener ante pedes,

sed ei dicendum fuisse fortasse hoc: ‚O patrii Lares, servate me; servastis me iam antea et precor ut iterum me servetis‘. Unde effici illam elegiam a nullo nisi ab eo compositam esse posse qui primum in bellum profecturus esset. Qua in re plane assentior Hankelio.

Sed ut redeat unde deflexit oratio, uno vel duobus annis post elegiam decimam putat compositam esse septimam. Scrupulum autem si cui quis inhaereat ea de causa quod carmen septimum priori illi decimo et suavitate et elegantia longe cedat confidenter credit tolli si id respiciatur quod in carmine septimo agatur de rebus a Messala praeclare gestis quae multo magis epicae gravitati quam elegiae facilitati conveniant eisque describendis Tibulli ingenium impar fuerit. Harum igitur utraque elegia interiecta leniorem existimat transitum factum esse ab imperfecto panegyrico ad elegantia illa et perfecta carmina quae essent libri primi quartum, nonum, octavum, tertium, primum, reliqua. Ad quem ordinem animum acrius attendentem fugere non potest quem in errorem vir d. inciderit. Repugnat ille sine dubio ei ordini rerum illa aetate actarum quam ipse Hankelius constituit. Probavit enim gravibus causis quibus ipsi quin ad partem assentiremur facere non poteramus res in Oriente a Messala ante bellum Aquitanicum gestas esse. Tertiam autem elegiam initio expeditionis Asiaticae a Tibullo compositam esse omnes viri d. uno ore consentiunt ac ne Hankelium quidem id in-

fitias iturum esse existimo; non potest igitur haec elegia locum habere post decimam et septimam quarum altera initio belli Aquitanici — Hankelii quidem ipsius iudicio — altera ad triumphum ex hoc bello decretum celebrandum composita est. Videmus igitur Hankelium ita ratiocinantem suis ipsius irretitum esse laqueis.

VI.

Sed opinionum virorum d. nullis ut apparet probabilibus causis fultarum confutationibus nimium iam immorati nunc ad singulorum carminum condicionem accuratius perspiciendam progrediamur. Atque initium quidem nobis ducendum videtur ab elegia septima utpote cuius de tempore dubitari non queat. Ipsa enim elegia demonstrat se scriptam esse a. 727. Sed vehementer quaeritur quem inter ceteras obtineat locum. Sunt enim qui ultimam libri primi omnium compositam esse arbitrentur et qui mediam eam locum obtinere velint.

Unus Teuffelius ut modo vidimus propter malam condicionem primam eam censuit scriptam esse. Cuius viri d. priusquam accuratius in sententiam inquiramus liceat nobis argumentum illius carminis enarrare. Natalicium igitur carmen conditurus poeta exorditur ab ipsa proxima ac summa laude illius diei, a victoria uno anno ante eodem die de Aquitanis reportata; triumphum deinde celebrat quem paullo ante egerat Messala. Quibus praemissis narrat poeta se participem fuisse illius expeditionis, id quod sibi ipsi honori tribuit.[1]) Testantur hoc multa loca multaque flumina in Gallia Aquitania sita quae omnia vidit Tibullus cum Messalae contubernalis esset. Neque hi soli testes sunt laudis Messalae, sed alias etiam terras ille omni laude dignus vir adiit in quibus non minus quam in Aquitania res bene gessit, Ciliciam, Syriam, Aegyptum, quarum priores binis tantum distichis poeta perstringit, in tertia autem celebranda praedicat eximie Osirim, Aegyptium deum, qui primus homines

---

1) Hic est sine dubio sensus hemistichii:

Non sine me est tibi partus honos

neque quidquam in hoc inest ridiculae arrogantiae vel stultae insolentiae id quod Baehrensio visum est, qui (l. c. p. 13) vulgatam lectionem ac per se probabilem vana atque inutili coniectura mutavit in: Non sine Marte ibi partus honos.

docuerit aratro et vitibus uti eisque vinum tristitiae solacium benignus dederit; quibus in laudibus persequendis tam diu poeta commoratus est ut nonnullis viris d. aequo longius a summa illius carminis sententia digressus esse videretur. Illum igitur deum vocat poeta ut adsit et concelebret diem natalem Messalae. In extremo carmine mentio fit viae Latinae a Messala e manibiis Aquitanicis stratae clauditurque carmen votis pro futura felicitate et gloria Messalae factis.

Hoc fere est argumentum elegiae septimae. Iam consideremus quo iure quave iniuria Teuffelius hoc carmen vituperatione dignum putaverit. Liceat igitur ea quae vir d. de hac re [1]) congessit hoc loco exhibere:

Eine ganze menge von dingen, über die er ausführlich hätte handeln können, zumal er selbst daran teilgenommen hatte, wird vom dichter aufgenommen, mager behandelt und bald fallen gelassen; schliesslich wird halt gemacht an einem gegenstande, über den mit vielem rhetorischen pompe weitschweifig gehandelt wird. Von der langen digression findet der dichter nur mühsam den weg zu seinem eigentlichen gegenstande zurück, zu dem er noch einen sehr fatalen nachtrag macht. Dazu im einzelnen ueberladungen des ausdrucks (v. 13 ff.), spielende gegensätze (12), zweckloses pathos (44 f.), ungeschickte wendungen (9 f. 13. 15. 17. 21. 23. 57.), wiederholungen (12. u. 14., 30. 33. u. 46., 40. u. 43., 44. u. 48.), prosodische härten (2. 40. 9.), entlegene mythologische anspielungen (54.) neben der bedenklichen identificierung des Osiris und Bacchus.

Propter haec igitur vitia Teuffelius carmen septimum tantum abesse dicit ut inter posteriora ac perfectiora referendum sit ut contra omnium primum compositum esse putandum sit. Ac primum quidem reprehendit vir d. quod postquam permultas res exiliter tractaverit in una tantum re poeta subsistat et totus fere haereat quam permagno ornatu rhetorico adhibito prolixe prosecutus sit. Tale vitium in carmine condendo committere iuvenilis esse et non exculti ingenii Teuffelius contendit idemque nos docet in aliis quoque carminibus quae et ipsa ad prius tempus Tibulli aetatis re-

1) l. c. p. 355.

ferenda sint poetam hac ratione a proposito aberrantem unam quamlibet rem latius fusiusque persequi solitum esse. Rem exemplis probare studet repetitis ex elegia decima, ubi de pace, et elegia octava, ubi de vi artis magicae, et elegia quarta, ubi de temporis fuga pluribus agitur. Sed nam in his solis carminibus id perspicitur? Quid? quod etiam in elegia tertia quam Teuffelius ipse fatetur et compositione et re admirabilem esse idem invenitur? Per quindecim enim versus ibi poeta praestantiam priscorum morum Saturno regnante perscripsit atque in eodem carmine pluribus versibus Elysii gaudia poenasque Tartari depinxit. Quare adeo non adducor ut crimini vertam poetae quod hic illic a proposito discesserit et unam rem quae cum ceteris sententiis carminis interiore nexu cohaeret pluribus persecutus sit ut non dubitem id proprium esse Tibullianae poescos dicere. At quid illae laudes dei Aegyptii ad Messalam? At hoc non erat propositum Tibullo ut carmine epico res magnas Messalae celebraret sed iis persequendis cum recte intellexisset ingenium suum impar esse, misit omnino illas res et abiit in iucunditates rerum rusticorum describendas in quibus solis putabat vitae felicitatem positam esse eorumque auctorem Osirim celebrandum sibi sumpsit qua re et carmen ipsum exornavit et Messalae qui sine dubio in illa terra in qua Orisis indiges erat res praeclare gesserat honorem tribuit debitum. Tales rerum rusticarum descriptiones plerisque elegiis Tibulli insertas esse quis est quin sciat? Exempli gratia respice quaeso elegiam primam et quintam ubi pluribus versibus poeta gaudia rustica suaviter depinxit quae sperabat fore ut sibi contingerent si Delia ipsum rus comitaretur. Quibus in carminibus adeo non a proposita re aberravit ut ab initio usque ad finem carminis eam maxima religione observaret; sed moratus est hic illic ut singulas partes exornando effectum sententiae toto carmine expressae maiorem redderet. A quo more ne in eo quidem carmine discessit de quo agitur. Nam huic quoque carmini procul dubio id consilii secutus rerum rusticarum descriptionem inseruit, ut ea pulchriorem redderet totius carminis effectum idque ipsum generi elegiaco convenientius. Verum viae a Messala stratae Latinae commemoratione quid voluerit poeta equidem nescio; haec certe in carmine elegiaco inepta et ridicula est nisi forte voluit poeta, id quod visum

est Baehrensio, hac commemoratione Messalae aliquid grati acceptique dicere.

Iam quae singula in hoc carmine vituperat Teuffelius ea fere omnia in ceteris quoque carminibus Tibullianis inveniuntur; quod singillatim demonstrare longum est; uno quidem ex his vitiis opinatis carmen illud liberabo quo qualia sint cetera facile perspiciatur.

Nullo enim iure Teuffelius offensus est singulis vocibus in hoc carmine iterum iterumque repetitis. Nam inter omnes constat etiam hoc Tibulli proprium esse quo nemo poetarum Augusti aetate florentium saepius figuras repetitionis verborum usurpavit. Cuius rei ut exempla e carmiue omnium consensu pulcherrimo afferam, in elegia prima vocabula eadem inveniuntur in hisce versibus: 1 assiduus 6 assiduo – 39 antiquus 42 antiquo — 5 inerti 71 iners — 17 custos 22 custodes — 22 parva 25 parvo — 55 vinctum 64 vincta — 7 teneras 46 tenero 64 tenero 68 teneris. Qua de re ea quoque conferas quae Dissenius congessit in dissert. de poesi Tib. II. p. 155.

Ex his igitur quae de carmine septimo adhuc disseruimus luculenter apparet erravisse vehementer Teuffelium quod hoc carmen propter mendosam eius naturam opinatam primum inter omnia natum esse arbitrabatur. Atque tantum abest ut certa argumentatione Teuffelii sententia nobis probata videatur ut si quis omnia carmina libri primi ante septimum composita esse contendat eius sententiae quaecunque de vita Tibulli pro compertis habemus ea omnia faveant atque subveniant; id quod cum ceterarum elegiarum condicionem dispexerimus satis clare enitebit.

VII.

Transeamus igitur si placet ad carmen decimum id quo iure plerique viri d. primo loco posuerint explanaturi.

Quae quidem quaestio difficilis atque ardua est quod plane destituti sumus certo testimonio historiae quo bellum in hoc carmine commemoratum suis temporibus circumscribere possimus. Sed hoc quidem pro certo affirmari potest Tibullum cum hoc carmen pangeret iuvenem fuisse id quod cum ex universae elegiae tenore sententiarum tum maxime e versibus 15 et 16 facile perspicitur. Plerique igitur viri d. hanc elegiam ad id bellum recte putaverunt referendam

esse, quod ea aetate qua Tibullus erat adolescens gerebatur. Verum cum non satis constaret quo anno natus esset Tibullus, alii ad bellum Aquitanicum illud carmen rettulerunt, alii aliud bellum excogitaverunt. Verum enim vero de bello Aquitanico cogitari nequit; nam hoc bellum a. demum 726 a Messala post expeditionem Asiaticam susceptum esse satis comprobavisse nobis videmur; eo autem bello quod respicit tota elegia decima Tibullus sine dubio est tirocinia positurus. Neque hae solae extant causae quibus sententia virorum d. de bello Aquitanico cogitantium ad irritum redigatur, sed alia etiam argumenta eaque valida nobis praebet Passovius [1]) quibus apte illam coniecturam refellamus. Illi enim viro doctissimo ceterorum qui in hac elegia recensenda ei antecesserant sententias perlustranti atque examinanti ea res summam movit dubitationem quod per totam elegiam ne verbo quidem Deliae amorem poeta commemoraverit. Quodsi Tibullus illo tempore quo hanc elegiam componebat suscepturus erat cum Messala iter in Aquitaniam indeque bello confecto, id quod plerique viri d. pro certo affirmarunt neque Passovio improbatum est, statim in Asiam contendit, necesse est iam tum eum cum Delia amore coniunctum fuisse censeamus, quoniam hoc in itinere aegrotus in insula Corcyra relictus carmen tertium pangebat quo Deliae amor suavissime describitur. Qua in re merito admodum mirum videtur quod quamquam pluribus versibus de deliciis amoris in elegia decima loquitur tamen nullum verbum de Delia poeta addidit. Messalam, si quidem iam tum eum noverat, suo iure silentio praeterire poterat poeta in eo carmine quo vehementius quam omnibus ceteris in res bellicas invehebatur; sed Deliae commemoratione si revera iam tum inter utrumque consuetudo intercedebat nullo modo supersedere poterat. Itaque recte Passovius collegit elegiam decimam in id tempus cadere quo nec Messalam nec Deliam poeta noverat.

Sed vehementer quaeritur quod fuerit illud bellum ad quod hac elegia se rapi poeta queritur; qua quidem in quaestione explananda id tenendum est carmen decimum esse perquam iuvenile opus atque id bellum de quo agitur ante bellum Aquitanicum gestum esse. Passovius igitur ex ipsa

1) opusc. acad. disp. Bach. p. 280 sq.

condicione carminis decimi perspexisse sibi videbatur necessitate quadam Tibullum ut stipendia mereretur adductum esse idemque nobis persuadere studebat, officium militare cuius initium penes adolescentem Romanum equestri loco natum fuisset ab anno decimo septimo vel octavo hanc fuisse necessitatem qua Tibullus iuvenis viginti fere annorum (putat Tibullum natum esse circa a. 695) ad arma vocaretur. Iam vero si haec concedantur hinc tamen certo perspici non potest quando hoc bellum gestum sit, siquidem pro certo affirmari non potest quo anno Tibullus natus sit. Sed maxime dubium videtur, (ut supra iam in adnotatione[1]) dixi), num Tibullus revera fuerit eques Romanus. Et faciamus rem ita se habere tamen perspicere non possum qui illa dena stipendia quae equites Romani merere debebant, si a. demum 715 a Tibullo ut Passovio visum est incohata sunt, cum ordine rerum ab eodem viro d. constituto conveniant. Nam Passovius ipse statuit a. 723 Tibullum cum Messala in Aquitaniam ivisse, illa autem dena stipendia si ita res se haberet ut Passovio placuit usque ad a. 725 duravisse nemo non videt.[2]) Ex illis autem rationibus quas initio huius quaestionis protulimus aperte sequitur Tibullum natum esse intra annos 700 et 705, unde si Passovium sequeremur Tibullum intra annos 717 et 722 ad arma evocatum usque ad a. 727 vel 732 stipendia meruisse efficeretur id quod nostrae computationi prorsus repugnat.

Quae cum ita sint desistamus bellum aliquod excogitare ad quod carmen 10 apte referatur atque assentiamur potius Lachmanno[3]) tantum abesse affirmanti ut ex hac elegia necessario sequatur reapse Tibullum belli in eadem commemorati participem fuisse ut quaecunque et in hac elegia et in ceteris extant de belli laboribus ea omnia nos in eam adducant sententiam ut Tibullum belli immunem mansisse putemus. Et id quidem recte vidit ille vir sagacissimus. Neque enim ex verbis ‚nunc ad bella trahor', nisi iis vim afferas, neque ex ceteris locis quibus poeta belli labores et pericula perstringit, quales inveniuntur 7,25. 26.

---

1) cf. p. 6 adn. 5.

2) Neque plus probabilitatis habet ea Passovii coniectura qua suspicatur Tibullum cum tiro esset cum P. Ventidio in Syria et Cilicia militavisse.

3) kleine schriften ed. Vahlen. p. 145 sq.

Iam modo iam possim contentus vivere parvo
Nec semper longae deditus esse viae

et 3,56

Messalam terra dum sequiturque mari

recte iudicari potest Tibullum revera militis munere esse functum. Neque enim unquam loquitur de laboribus belli, de atrocitate pugnae, de militis munere gravissimo, sed semper queritur de molestia tantum longorum itinerum. Ac ne inde quidem quod c. 7,9 poeta dicit

Non sine me est tibi partus honos

recte colligitur Tibullum militasse; ex hoc enim loco nihil aliud erui potest nisi Tibullum una cum Messala in Aquitania fuisse; de militia a se facta nullum verbum poeta prodidit. Vitae autem Tibulli codicibus traditae ex qua ei qui pro Tibulli militia pugnant hauserunt cur fidem denegaremus iamiam demonstravimus. Itaque multo pronior sum in eam sententiam ut Messalam putem eo dumtaxat consilio Tibullum ut se comitaretur invitavisse ut haberet quocum sermonibus urbanis vitam castrensem quam suavissime tereret, id quod exercituum duces et proconsulares tum facere solitos esse inter omnes constat. Tibullum autem in cohorte Messalae contubernalem non militem fuisse vel inde apparet quod poeta ipse initio elegiae tertiae queritur hisce verbis:

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse **cohorsque** mei!

Sed ut redeam e diverticulis in viam nullo modo probari potest Tibullum militasse. Neque igitur necesse est tum temporis cum elegiam decimam componeret poetam arma revera capere coactum esse putemus. Immo recte monuit Lachmannus (l. c.) totam huius elegiae condicionem eam esse ut facile perspiceremus spe etiamtum ductum esse poetam se belli immunem esse posse, id quod optime apparet e versibus 29—32:

Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces,
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero,

quorum ut recte vidit Lachmannus aptus sensus est hic: ‚Alii laudem belli quam maximam sibi parent; ego ipse domi maneam, et mihi narrent milites facta sua cum e bello re-

verterint. Quae sententia etiam versu 15 adiuvatur quo precatur poeta deos non ut se in pugna tueantur sed ut domi se retineant.

At nondum quaestio diremta est qua inquiratur quando bellum quo imminente Tibullus ad carmen 10 componendum excitatus est gestum sit.

At certis temporibus id circumscribere non licet cum plane nos deficiant historiae testimonia. Equidem ut ingenue confitear quod sentio tantum abest ut existimem bellum quoddam certum poetam carmen decimum componentem respexisse ut veri simillimum esse credam, cum dilectus quidam militum instaret Tibullum iuvenem animo valde turbatum sollicitatumque dolorem suum et metum hoc carmine effudisse. Dilectus autem militum illis temporibus quibus Tibullus iuvenis erat, ubi bella assidua et tumultus in dies plures exigebant milites, ad legiones crebris proeliis deminutas iterum complendas solito frequentius habitos esse non opus est pluribus dicere. Quid igitur obstat quominus Tibullum existimemus, cum dilectus aliquando haberetur, cum aequalibus suis ad bellum evocatum carmine 10 dolorem suum de hac re expressisse, postea tamen nescio quo casu immunem mansisse belli laborum quorum imaginem iam tristissimis coloribus animo sibi effinxerat? Qui dilectus quando habitus sit pro certo affirmari non potest; id unum certum firmumque est elegiam decimam non a. 722 aut post a. 722 quo poeta Messalae innotuit scriptam esse omniumque quas liber primus continet elegiarum primum locum obtinere.

VIII.

Egimus adhuc de carmine septimo et de decimo quorum alterum constat a. 728 scriptum esse, alteri annum natalicium quantum fieri poterat modo adscripsimus.

Transeamus ad carmina in Deliam scripta (1. 2. 3. 5. 6.) de quorum ordine etsi permulti viri d. in eo recte constituendo sudaverunt etiamnunc dubitatur; atque primum conemur si ex computationibus historicis quas supra fecimus elegiae primae et tertiae rectum tempus et locum assignare possimus.

Ac de tertia quidem dubitari non potest; ex ipsa enim patet tum scriptam eam esse cum Tibullus Messalam in Orientem

comitaturus esset. Hic quaerat fortasse quispiam qui Tibullus in navem cohortemque Messalae venerit quoniam illum supra demonstravimus inde a pugna Actiaca statim in Aegyptum indeque in Asiam se contulisse. Cui respondeo mihi quidem non dubium esse quin Tibullus et ipse pugnae Actiacae interfuerit. At nullo loco huius pugnae in carminibus mentionem fecit. Quid hoc? Quidnam de bello Aquitanico amplius edidit quam se eius participem fuisse? A Tibulli animo indoleque prorsus alienae erant rerum bellicarum descriptiones; quantum poterat eas fugit poeta qui satis habebat gaudia pacis, amoris, convivii, iucunditates vitae rusticae et amicitiae tractare. Ac si hoc in argumento non acquiescas vide quae Hartungius attulit[1]) qui sententiam suam qua dicit propterea Tibullum nihil de hac pugna dixisse quod hoc certamine Antonius cuius amicus antea Messala fuerat victus est, et certe Tibullus eo gratiorem amico se reddidit, quod illius amicitiae mentionem non fecit prorsus mihi quidem probavit. Verisimillimum igitur putamus Tibullum pugnae Actiacae interfuisse.[2]) Postquam autem ibi pugnatum est cum Messala in Orientem profecturus esset poeta eum comitari voluit sed morbo coactus in insula Corcyra remansit; ubi elegiam tertiam composuit. Quare efficitur carmen tertium ante primum esse compositum de quo inter viros d. adhuc dissensio erat. Cuius quidem rei cum causas quaererem has inveniebam duas, unam quod in carmine primo bellum quoddam a Messala gerendum comme-

---

1) De panegyrico ad Messalam Pseudo-Tibulliano Hal. 1880 p. 7.

2) Etiam Horatium eidem pugnae interfuisse nullo tamen de hac re verbo in carminibus edito mihi quidem ex epodo 9 satis clare videtur apparere. Nam haud dubie argumentum huius epodi est hoc: Horatius optat ut sibi contingat rursus cum Maecenate sub alta domo victorem Caesarem celebrare. In convivio occupatus est cf. v. 33 ‚Capaciores affer huc, puer, scyphos' atque id quidem in navi habetur, quod ex versu 35: ‚quod fluentem nauseam coerceat' luculenter apparet, quo mihi quidem non dubium est quin poeta de eo quem nos dicimus morbum navalem cogitaverit. Adde quod dixit vv. 37. 38: ‚Curam metumque Caesaris rerum iuvat | dulci Lyaeo solvere', unde apparet rem a Caesare prospere quidem gestam esse, sed nondum decertatam, et v. 17 ‚At huc (quam lectionem codicibus Cruquianis confirmatam ceteris praeferam) frementes verterunt bis mille equos | Galli canentes Caesarem', i. e. in hanc partem qua ego sto, in partem Caesaris Gallia transfugerunt. Tota igitur carminis condicio ea est ut dubitari non possit quin Horatius ipse pugnae Actiacae interfuerit. Cf. Buecheler, Coniectanea, Bonn. Univ.-Progr. 1878—79 p. 13.

moratur quode certius quidquam ex carmine ipso erui non potest; altera est haec quod in carmine primo insunt nonnulli versus quibus complures viri d. ad eam sententiam adducti sunt ut Deliam cum hoc carmen a Tibullo scriberetur matrimonium iam iniisse crederent, in tertio autem nulla coniugii vestigia inveniuntur. De iis igitur causis quae a vitae Deliae condicione ductae sunt infra disputabimus; nunc quod bellum poeta in carmine primo spectaverit consideremus. — Hac igitur in quaestione excutienda viri d. in tres abierunt sententias, ita quidem ut cum Messalam constaret tribus expeditionibus interfuisse, Actiacae, Asiaticae, Aquitanicae, alii ad aliam illarum trium id bellum cuius in carmine primo mentio facta est referrent. De bellis Actiaco aut Aquitanico cogitari non potest quoniam alterius verisimillimum est participem Tibullum fuisse, ut nos modo demonstravimus, alteri ipsum interfuisse claris verbis indicat[1]), ex hoc autem carmine apparet Messalam quidem rebus bellicis occupatum esse sed Tibullum cum hoc carmen pangeret domi moratum esse. Relinquitur igitur ut illud bellum ad id tempus referamus per quod Messala proconsulari potestate in Syria Ciciliaque erat versatus. Et id quidem recte; nam sine dubio Messalae cum munere proconsulari fungeretur nonnumquam opus fuit ad vim atque arma descendere ubi videbat populos novo statui rerum (illae provinciae antea Antonio addictae fuerant) pertinaciter repugnantes, veluti gladiatores de quibus supra pluribus diximus vi et armis domuit.

Atque carminis primi condicionem perpendentibus etiam alia quaestio nobis subeunda est. Contenderunt enim nonnulli respondisse Tibullum carmine primo Messalae qui eum invitasset ut se in bellum comitaretur idque recusavisse excusantem amorem quo arderet in Deliam et indolem naturamque suam quae abhorrerent a rebus bellicis, Messala vero eum iterum precibus urgente resistere poetam non potuisse et in bellum fautorem esse comitatum. Quod bellum prout cuique ratio erat quaestionis alii putabant Aquitanicum, alii expeditionem Asiaticam fuisse. Quarum utramque opinionem falsam esse ex eis quae antecedunt satis clare elucet. Et faciamus ut falsa sint quae nobis videmur probavisse tamen

---

1) cf. el. 7.

credibile non putamus Tibullum, virum modestum atque animo vere urbano, passum esse a Messala iterum iterumque se precibus urgeri priusquam ei obsequeretur. Immo dubium non videtur quin Messalae quamvis invito animo statim poeta se adiunxerit; ex qua tamen re gravissime peccant qui Tibullum colligant tam obnoxium obstrictumque fuisse Messalae ut ei non tam liceret ad suum arbitrium vitae rationem instituere quam subeundum esset quodcunque ille fautor potentissimus iussisset. Neque enim unquam etsi variis beneficiis a Messala affectum eum esse veri est simile ei tam subiectum devinctumque Tibullus se reddidit ut cum aliqua veri specie tale quid arbitraremur, cui rei testimonio sunt eius carmina in quibus quaecunque de usu suo Messalae prodidit ea omnia non tam potentissimum vitae arbitrum quam amicum benevolentissimum spectant. Censemus igitur Tibullum Messalae precibus statim obsecutum eum in bellum Actiacum comitatum esse indeque cum eo in Orientem proficisci voluisse. Qua in expeditione cum in insula Corcyra morbo implicatus remanere cogeretur carmen tertium composuit quo de abitu suo ex urbe misere queritur seque ipsum vehementer reprehendit quod Deliam suam et patriam temere reliquerit. E morbo autem recreatus statim Romam repetiit ubi mihi quidem probabile videtur condidisse eum carmen primum Messalae se excusaturum cur valetudine restituta amicum non sequeretur sed in urbe Roma mallet remanere.

Haec mea de harum utraque elegiarum est sententia qua puto primam post tertiam esse compositam.

IX.

Iam ad carmina 2. 5. 6 transeuntes de horum primi quidem tempore aliquid certi statuere possumus ex v. 69-72. In his enim versibus commemoratur bellum quoddam contra Cilices gestum quibus nihil aliud poeta videtur spectavisse nisi res a Messala in Cilicia gestas. Iam cum Messala Syriae Ciliciaeque praefuerit per a. 724 et partem anni 725 apparet hanc elegiam non ante a. 725 natam esse. Sed de elegia 5 et 6 plane nos deficiunt testimonia; nam quod c. 5,37 poeta dicit; ‚huc veniet Messala meus‘ me quidem iudice inde concludi non potest Messalam etiamtum Roma afuisse.

Nam his verbis Tibullus qui carmine quinto vitam felicem quam cum Delia se transacturum esse sperabat pulcherrimis coloribus depingens iam alia gaudia versibus prioribus enumeravit quae sibi contingant nihil significavit nisi tum se certissima spe ductum esse Messalam saepius ad se rus iturum esse quo felicitas sua augeretur et compleretur, ita quidem ut ex hac imagine quam futurae vitae felicitatis poeta animo sibi finxit nihil de adventu vel reditu Messalae concludi possit.

Quae cum ita sint haec via ac ratio ut ordinem probabilem carminum in Deliam scriptorum constitueremus nobis visa est ingredienda ut respiciamus qui sit progressus rerum et sententiarum in singulis; quae quidem quaestio in eis ipsis carminibus admodum ardua et impedita est quia nisi de Deliae vitae condicione probabilia assecuti erimus de qua, etsi permulti iam viri docti in ea investiganda sudaverunt, etiamnunc vehementer dubitatur firmoque fundamento sat stabili plane caremus quo confisi totam quaestionem dirimamus.

Iam apparet ex carminibus ipsis 2 et 6 eis nobis nuptam Deliam a poeta repraesentari; dubitatur adhuc de carminibus 1. 3. 5; de quibus est permagna dissensio virorum d. quorum de hac re sententias nunc examinemus.

Ac Passovius (l. c.) quidem cum nulla vestigia inveniret coniugii in carmine primo et tertio ea viduae Deliae tribuere non dubitavit; cetera autem, secundum, sextum, quintum post matrimonium a Delia Tibullo absente initum scripta esse arbitratus est. Quorum quidem in quinto Deliae mariti mentio non facta est, verum hoc tamen ultimum in hoc amore praecipue ut videtur ea de causa putabat quod extremis huius carminis versibus Tibullus puellae suae valedixisse ei videbatur. Qua in re cum de ceteris carminibus idem fere ac Passovius iudicaret ab eo Dissenius vehementer dissensit qui tantum abesse contendit ut poeta illo carmine serio puellae valedicerit ut contra ex tota eius condicione facile perspiceretur illud quoque eis adnectendum esse quae in viduam Deliam scripta essent. Neque enim ullam voculam de matrimonio inito ibi legi, immo vero per integrum carmen poetam discidium inter se et Deliam ortum tollere conari seque in priorem apud puellam statum restituere; atque, quod maximum, in-

sertam esse illi carmini pulcherrimam descriptionem vitae futurae quam cum Delia se transacturum esse poeta speraret, ex qua luce clarius appareret illud carmen tempori coniugii praecessisse. Nam si Delia iam nupta fuisset cum illud carmen componeretur fieri non potuisse ut poeta eam speraret secum rus ituram esse ibique sibi illam vitam felicissimam reddituram quam animo sibi illo carmine effingeret. Sed ad hanc rem infra revertar; nunc consideranda est sententia Lachmanni qui (l. c.) et ipse quidem elegiam tertiam et primam priori amoris tempori tribuit sed ceterorum carminum alium atque Passovius et Dissenius ordinem constituit. Offensus enim est vir summus v. 1,56

et sedeo duras ianitor ante fores

quem negabat ullo alio modo intellegi posse nisi Deliam tum cum illa elegia componeretur iam nuptam fuisse concederemus; neque cuiusquam auctoritatis esse quae Dissenius protulisset opinans poetam illis verbis significare Deliam usque ad id tempus asperam necdum sibi tam facilem quam cuperet, quia si illo loco de animo dumtaxat difficili et duro quo esse solent puellae initiis amoris esset sermo, verisimillimum esset poetam non tam obiter sicut illo loco factum esset eum perstricturum fuisse quam acerrime impugnaturum. Praeterea ipsum poetam in carmine quinto usum esse verbis ‚per te furtivi foedera lecti‘, unde appareret consuetudinem antea concessam tum turbatam esse. Quae verba ut ad amorem libertinarum apte referri possent tamen nullius momenti esse quod Dissenius ad suam sententiam fulciendam dixisset nullo modo sperare potuisse Tibullum Deliam secum rus ituram esse ibique vitam transacturam, quia idem quod in el. 5 sibi animo fingeret poeta a Delia etiam elegia secunda petivisset, ubi diceret:

Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
Iungere et in solito pascere monte pecus.

Quodsi cui dubitatio inhaereret ea de re quod mariti mentio non facta esset in elegia 5, id putabat Lachmannus ea de re factum esse quod ille consiliis Tibulli qui eo sciente ac prudente inter familiares receptus esset nequaquam obstaret nec quidquam de eo laboraret. Maximi autem momenti visa sunt viro doctissimo duo esse argumenta historica ex el. 2 et 5 repetita quarum ex altera (2, 67. 68) appa-

reret illo quo carmen secundum conderetur tempore bellum a Messala in Cicilia gerendum nondum confectum esse, altera his verbis (5,31) ‚huc veniet Messala meus' doceret Messalam aut iam rediisse aut propediem expectari. — Recta sunt quae vir d. de tempore elegiae secundae disputavit; haec certe per id tempus quo Messala munere proconsulari fungebatur (724—725) nata est; sed minus recte disseruit Lachmannus de verbis ‚huc veniet Messala' ex quibus nihil de tempore huius carminis concludi potest.

Ac ne iis quidem verbis quae sunt 1, 56 ‚durae fores' tantam vim ad rem diiudicandam esse censeo quantam iis tribuit Lachmannus. Quid? ex eo versu solo qui est

Et sedeo duras ianitor ante fores

recte quemquam colligere num tu arbitraris nisi opinione praesumpta ad rem accesseris Deliam cum carmen primum componeretur iam nuptam fuisse? Nonne hae durae fores eodem iure de Delia innupta intellegi possunt quae qualibuscunque causis permota amatori ianuam clauserat? Non multi loci in aliis quoque poetis elegiacis inveniuntur (quos hic enumerare longum est) ubi ianua amatae puellae clausa dura appelletur a poetis ante domum stantibus? Liceat mihi unum tantum afferre 1)

„Ianua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?"

ubi plane perspicitur ianuam duram appellatam esse quod clausa erat.

Neque gravius est aliud argumentum quo Lachmannus sententiam suam stabiliri arbitratur. Mea quidem opinione non recte vir summus iudicavit furtivum amorem quo carmen 5,7 poeta dicit se cum Delia coniunctum fuisse illo loco idem esse atque amorem scelestum et inconcessum. Nam vox ‚furtivus' cum aptum epitheton sit amoris qui res clandestinas agat nec palam iactet, tum summis eius gaudiis optime convenit quae clam omnibus in tenebris percipi solent; illo autem loco sine dubio poeta cogitat de illis summis gaudiis quibus nocte favente fructus sit; quare fieri non potest ut aliter verba Tibulliana accipiamus atque: ‚quaeso per nostram voluptatem clandestinam, i. e., qua clam ceteris fructi sumus, non quam ceteros celare debebamus.'

1) Propert. I, 16, 17—18.

Atque ut ultimum refugium Lachmanni investigemus negantis ea re quod Tibullus carmine quinto a Delia petiverit ut secum rus iret sententiam suam labefactari quia ne secundum quidem carmen quo Delia nupta aperte repraesentetur his precibus careat, nullo modo mihi quidem persuadetur in elegia secunda de invitatione a Tibullo facta cogitandum esse; nam hic aperte sensus est illius loci: Alius cuiusdam praedae ac divitiarum cupiditati opponit ibi poeta suum ipsius quietum et ad res rusticas modo propensum animum. ‚Ille, inquit, nihil magis cupit quam divitias ac praedam parare; mea vero vita beata in te una posita est. Nihil mihi gratius acceptiusque esset quam si tecum vivere possem in praedio meo rustico parvo contentus.‘ Haec certe, ut ita dicam, fictio poetica est cum Tibullus non ignoret Deliam cum alio viro nuptam sibi obsequi non posse. Quae autem in elegia quinta poeta finxit ea omnia ad effectum perventura esse manifesto speravit. Nam non semel in praedium suum Deliam venturam esse ibi animo fingit breve tantum tempus moraturam sed eam per longius temporis spatium apud se habituram esse muneraque quasi matrisfamilias suscepturam, id quod mea sententia satis clare elucet ex temporibus quibus utitur poeta futuris quae sunt colam — aderit — servabit — consuescet — consuescet; quorum verborum ultimum bis positum gravissimae est auctoritatis ad nostram sententiam qua Deliam tempore huius carminis viduam putamus adiuvandam.

Videmus igitur Lachmanni rationes quibus ductus etiam carmen 1 et 5 Deliae nuptae tribuit minoris esse auctoritatis quam quibus in eius partem ducamur; quare eius sententia mihi quidem improbatur.

Consideremus igitur quid Otto Richterus[1]) qui Lachmanni sententiam paucis tantum, ut ille vir summus solebat, vocibus adumbratam pluribus exsecutus est, gravius ac firmius ad eam stabiliendam attulerit.

Offensus est vir d. ea potissimum re quod Tibullus nunquam invehitur in maritum Deliae a quo si revera Deliam per Tibulli absentiam in matrimonium duxerat gravissimam sine dubio iniuriam accepisset, ac ne Deliam quidem reprehendit

1) Mus. Rhen. XXV p. 521 sq.

quod animum a se averterit aliique viro nupserit. Certe mirum videtur esse quod poeta quem in iram praecipitem esse ex aliis locis cognovimus, quoniam non dubium est quin vehementissime animo perturbatus sit cum Deliam matrimonium iniisse comperiret, dolorem suum cum poeta esset carminibus non effuderit; attamen audacius mihi videtur ex hoc silentio colligere matrimonium per tempus consuetudinis Deliae et Tibulli ab illa initum non esse sed omnes elegias Deliae iam nuptae tribuendas esse, cum praesertim tot tantaeque res ei sententiae faveant qua putamus elegias 1. 3. 5 compositas esse cum Delia etiamtum vidua esset. Hac igitur opinione seductus Richterus in carminibus in Deliam scriptis subodoratus est coniugii vestigia ubi me quidem iudice plane nulla inveniuntur. Tertiae quidem elegiae dubitari non potest quin vir d. vim attulerit ex ea satis valida argumenta quaesiturus quibus sententiam suam stabiliret. Et recte monuit O Ribbeckius[1]) quaecunque poeta in hoc tertio carmine de maerore puellae quo se proficiscente correpta erat deque eius desiderio quo commota reditum poeta expectabat, et in primo carmine de funere suo in quintoque de vita rustica cum Delia sibi degenda commemoraret, ea omnia adeo non nuptae feminae convenire ut siquis hoc contenderet is se ipse fraudaret de voluptate quid pulchri inesset in illis carminibus animo recte percipiendi. Atque equidem vehementer dubito num Richteri sententia iis versibus qui leguntur 1, 55. 56. 6, 9—14. 59—64. 31—32 satis confirmetur. Nam eos quos ex primo carmine repetiit a viris d. male intellectos esse iam supra docuimus; atque totam elegiam sextam id tempus spectare quo Delia nupta erat ex ea ipsa patet, quod quidem adhuc nemo dubitavit.

Richteri in partes transiit Baehrensius (l. c.) cui quidem et ipsi omnia carmina in Deliam nuptam videntur esse scripta attamen alius atque Richtero eorum ordo probatur. Liceat igitur mihi Baehrensii sententiam breviter enarrare. ‚Elegia prima, inquit, respondet poeta Messalae qui in Orientem profecturus poetam invitaverat ut se iterum comitaretur. (Antea iam belli Aquitanici particeps fuerat Tibullus ex sententia Baehrensii.) Recusat hanc invitationem poeta qui abhorreat

1) Mus. Rhen. XXXII. p. 445 sq.

a rebus bellicis et Deliae quam modo cognoverat amore retineatur. Poetam cum Delia mutuo amore nondum coniunctum esse ex condicione totius carminis secundi apparere qua variis modis poeta puellam ab officio avertere conetur artesque doceat quibus si satis audax sit custodes fallere facile possit. Quod quo facilius Deliae persuaderetur poetam eam admonuisse ipsius mariti perfidiae qui eam divitiis in terris remotis parandis postponeret eiusque nequitiae suum ipsius ardentissimum opposuisse amorem qui parvo contentus nil a dis peteret nisi ut cum Delia ruri quietam degere vitam liceret. Attamen Deliam in officio mansisse poetaeque difficilem. Tironem tum temporis in amoribus poetam fuisse eorumque rudem satis apparere ex ea re quod ‚novos dolores' sibi ferendos esse diceret ac ‚nova limina' adeunda. Necdum in illo carmine commemorari rivalem quem ceteris in carminibus poeta quereretur; nam versibus 57. 58 qui sunt

Tu tamen abstineas aliis; nam cetera cernet
Omnia; de me uno sentiet ille nihil

certum rivalem non significari. Eandem suspicionem si qua esset etiam in tertia elegia ubi summus amor utrumque teneret poetae pectus commovisse (cf. vv. 81—84) neque tamen illis verbis quidquam certi subesse. Quibus ex omnibus apparere carmen 2 priori illius amoris tempori tribuendum esse atque id quidem compositum videri hieme anni 724 cum Messala Aquitanico bello confecto Romam reversus[1]) ibi per hiemem moratus esset priusquam iter in Asiam susciperet. Ineunte autem vere cum Messala in Orientem profecturus poetam iterum invitavisset ut se comitaretur poetam resistere diutius non potuisse seque ei adiunxisse. Corcyrae tum natam esse elegiam tertiam ex qua perspiceretur quantum in Deliae gratia processisset poeta priusquam Romam relinqueret. Nam manifestum esse votorum suorum eum compotem factum esse quod quidem non claris verbis expressisset sed scite adumbrasset Deliae animi sollicitudinem eiusque sui desiderium suavissime describendo.'

Sed priusquam Baehrensii sententiam enarrare pergamus hoc loco liceat parumper subsistere atque examinare quo iure quave iniuria ea quae adhuc enarravimus statuerit.

---

1) cf quod p. 11 adn. 3 disputavimus.

De prima ac tertia elegia mea vel ex iis quae supra dixi elucet sententia qua puto illam brevissimo spatio post reditum Tibulli ex Corcyra in urbem, hanc, id quod inter omnes constat, Corcyrae esse scriptam. Neque minus abhorreo a Baehrensio in eo quod elegiam secundam priori amoris tempori tribuit. Nam nullo certe alio modo possunt verba ‚nova limina' et ‚novos dolores' intellegi nisi de matrimonio brevi antea a Delia inito. Neque video quo iure dixerit Baehrensius hac elegia primum poetam Deliae castitatem tentavisse eamque sibi facilem reddere conatum esse et ipsum tironem rudemque fuisse tum in amoribus. Potuitne revera Baehrensius credere eum qui tam accurata praecepta tamque callida consilia dabat ad maritum fallendum custodesque decipiendos rudem etiamtum fuisse amorum? Nonne ex ipsa ea re luce clarius apparet iam aliquantum temporis Tibullum Amori serviisse et peritum omnium istarum artium longa in amore militia factum esse? Ac ne id quidem mihi persuadetur versibus 9. 57. 58 certum rivalem non significari. Et concedamus hoc; tamen ex ipsis eis versibus apparet cum haec elegia conderetur fidem Deliae poetae iam suspectam fuisse.

Sed redeo ad Baehrensii sententiam explicandam. Illas tres elegias de quibus adhuc dixi uno corpore comprehensas iam ante a. 726 in lucem editas esse Baehrensius coniecit ex loco quodam Ovidiano (trist III 463) qui est

legiturque Tibullus
Et placet et iam te principe notus erat.

Octavianum nomen principis a. 726 sibi indidisse inter omnes constat. Illo autem loco ex tristibus citato Ovidius respicit Tibulli elegias in Deliam scriptas ac praecipue eas quibus flagitiosos amores docuerat feminas nuptas, id quod fit inprimis in elegia secunda; recte igitur collegit Baehrensius eam ante a. 726 publici iuris factam esse. Sed non video cur non sexta quoque elegiam cuius permultos versus iisdem fere verbis quibus Tibullus usus erat Ovidius in suum carmen transtulit ante a. 726 natam esse existimemus. Nam mea quidem opinione hoc erat consilium cum illum locum scriberet Ovidii ut id carmen quo Tibullus in omnium manus venerat in memoriam legentium revocaret. Iam cum sexti carminis magnam partem ad verbum expressam carmini suo inseruerit mihi quidem non dubium

est quin ipso eo Tibullus famam quandam acquisiverit, id igitur et ipsum ante a. 726 publici iuris esse factum. Neque tamen inde sequitur Tibullum elegias edidisse singulas aut paucas tantum comprehensas; multo veri similius videtur eum, ut tum mos erat scriptorum, carmina sua amicis quo in numero erat Ovidius recitavisse, quo factum est ut mox innotescerent. Errat igitur Baehrensius ex illo loco Ovidiano colligens singulas editas esse elegias primam, secundam, tertiam ante a. 726; immo liber primus in lucem prodiit totus a. 727 vel paulo post; nam antea eum editum esse quominus existimemus impedimento est elegia septima a. 727 scripta.

Haec habui quae in Baehrensii sententiam dicerem; restat ut disputemus de sententia Goetzii[1]) qui longe aliter iudicans atque ei viri docti quorum sententias adhuc attulimus nobis persuadere studet Deliam eo tempore quo a Tibullo amari coepta esset nuptam fuisse, tum sive morte mariti sive lege matrimonium solutum esse, atque hunc statuit ordinem (2. 6. 3. 1. 5.)ut carmina ea quibus nupta Delia nobis repraesentatur antecedant tempore ceteris. Rationes a Goetzio allatas quas levissimas puto hic enarrare longum est; ad eas refellendas satis erit dixisse elegiam secundam ante tertiam scriptam esse non posse quoniam cum elegia tertia componeretur Messala in Orientem profecturus erat, tempore elegiae secundae iam multum temporis ibi moratum esse. (cf. 2, 67. 68)

X.

Omnibus igitur virorum doctorum sententiis enarratis atque examinatis restat ut quae adhuc disputavimus in unum conspectum conferamus.

Tibullus, natus intra annos 700 et 705, Romae poesi litterisque deditus a. fere 720 vel 721 ad arma evocatus scribit dolore affectus carmen 10. Anno fere 722 innotescit Messalae simulque Deliam coepit amare. Anno 723 a Messala invitatus ut eum in bellum Actiacum comitetur ei obsequitur. Autumno eiusdem anni in cohorte eius in Orientem profecturus aegrotus in insula Corcyra remanet. Scribit elegiam 3 in qua quaecunque de amore suo et Deliae prodidit

1) Mus. Rhen. vol. XXXIII. p. 145—150.

ea omnia demonstrant arctissimo vinculo inter se coniunctos esse amantes nihilque poetam cogitare de perfidia Deliae sed confidenter eam sibi uni deditam esse credere. Quae spes fefellit poetam. Nam Corcyra valetudine restituta Romam reversus mox intellegit Deliam qua erat levitate se absente aliis favere coepisse quod elucet e carmine primo brevi post reditum composita qua Messalae se excusat poeta cur quamquam revaluit eum in Orientem non secutus sit. Versibus enim 1. 55, 56 cum dicat poeta

Me retinent vinctum formosae vincla puellae
Et sedeo duras ianitor ante fores

meliore inde iure concludas Deliam a Tibullo animum avertisse aliique viro se dedidisse quam matrimonium eam per absentiam poetae iniisse, id quod probatum est Lachmanno Richtero Baehrensio. At ex elegia quinta comperimus Tibullum etiam post reditum apud Deliam gratia floruisse. At ille non unus iam in puellae gratia erat verum alium etiam amatorem puella fallacissima interdum ad se admittit. Videtur enim tum temporis Delia in plagas cecidisse illius nequissimae lenae a Tibullo (c. 5, 48 sq.) devotae quae si quid honesti in Delia erat mores eius omnino corrupit ac depravavit. Veri enim est simile istam lenam qnae ex hac se permultum lucri capturam esse sperabat Deliae persuasisse ut Tibullo, paupere viro ac probo, misso alium sibi conciliaret poeta opulentiorem qui divitiis suis vitae cultum et lautitias utrique parare posset. Neque nimirum ista pessima mulier cecinit surdis auribus. Nam Delia omni generi voluptatum dedita nec contenta victu cultuque paupere quem se expectare videbat si in Tibulli amore maneret lenae obsecuta divitem amatorem aucupata est. Interea usque dum is quem quaerebat in plagas tentas incideret uno Tibullo contenta erat quem quidem saepius videtur exclusisse fortasse id consilii secuta ut paullatim eum a se abalienaret neque tamen omni spe gratiae recuperandae prorsus privaret.

Neque incredibile est Deliae etiamtum cordi fuisse Tibullum quem antea perdite amaverat; videmus enim ex elegia quinta Tibullo Deliam gravi morbo implicatam summa diligentia curare ac colere licuisse; neque tamen perpetuis lenae monitionibus Delia resistere potuit et cum amatorem poeta multo opulentiorem invenisset ab eo animum avertit. Quo quantum dolorem Tibullo inusserit ex elegia quinta satis apparet.

Discidium inter amantes antea arcte coniunctos ortum est quod quidem Tibullus diu sustinere non potest. Iterum iterumque adit puellam amatam, non precibus non monitionibus parcit eam sibi reconciliaturus; docet quantopere sit meritus de illa aegrotante quam finxeritque sibi vitam felicem cum prope lectum eius sederet; terrere conatur Deliam in caput istius pessimae lenae omnes minas periculaque devovens; verum vani sunt eius conatus, Delia eum non audit; immo nubit illi divitissimo amatori de quo queritur poeta carmine 5, 47. Novi dolores ferendi sunt Tibullo; neque tamen hac re amor et cupiditas eius coercetur; immo augetur et omnem modum excedere videtur; nam cupidissime a Delia nupta petit ut maritum fallat iterumque secum in gratiam redeat; praecepta dat callidissima quibus custodes a marito positos fallere possit; omni modo eam ab officio avertere studet. Et revera assecutus est id quod concupiverat, quod apparet ex carmine sexto; sed Delia semel ab officio deflexa et in vitia delapsa mox ad tantam levitatem progreditur ut iam non uno amatore contenta esse videatur. Ex sexta elegia facile intellegitur compluribus uno tempore amatoribus eam deditam fuisse. Hoc quidem carmine poeta conatur etiam tum Deliae persuadere ut in suo amore perseveret; sed nil effecisse videtur; itaque eam deseruit.

Finis amoris videtur incidisse in a. 726; quo cum anno Messalam in Galliam comitaretur credibile est inter tumultus belli poetam si non Deliae oblitum esse attamen eius amorem penitus insitum ex animo eiecisse et aequo animo a. 727 Romam redisse.

XI.

Satis multa mihi verba fecisse videor quare carminum in Deliam scriptorum is ordo mihi probaretur quo omnium primum natum esse carmen in libris tertium putarem idque intra duos fere annos deinceps successisse carmen primum, quintum, secundum, sextum; restat ut de carminibus in Marathum scriptis disseramus quae in libro Tibulliano exhibentur sede quarta octava nona. Nam carmen nonum etsi Marathi nomen in eo non legitur tamen scriptum esse ad illum nemo puto negabit. Ac de quarto quidem carmine viri docti con-

sentiunt quod illorum trium primum compositum esse putant: sed de ceteris adhuc ambigitur.

Ac mihi quidem non dubium videtur quin elegia nona recte locum obtineat post elegiam octavam. Hic enim est si quid video in illorum utroque carminum sententiarum nexus: ‚Celàre me non poteris, puer, quid animum tuum sollicitet; peritus enim sum amoris quem me ipsa Venus ‚non sine multis verberibus' docuit. Puellae cuiusdam te teneri desiderio iamdudum scio. Ac tu, puella, precor sis facilis Maratho neu eum torqueas; mihi crede summo in te amore eum flagrare. Ipse quondam superbiebat amantesque illudebat; nunc eum assecuta est poena quae te quoque manet nisi desinis esse superba.' — Hoc fere est argumentum carminis octavi. Iam eo quod sequitur poeta vehementissime in Marathum invehitur quod peiuraverit auroque captus alii amatori eique cano ac frigido se dederit; eam poenam illi precatur ut puella ad quam saepe ei paraverit aditum aeque atque ipse perfida sit. Tum procul abesse iubet puerum et foedus solvit amoris. Sequitur corruptoris imprecatio. Extremo carmine iterum in puerum invehitur quem a se desertum quam acerba sors exspectatura sit pluribus explicans.

Quam rationem sententiarum si tuo iudicio consideraveris carmen octavum recte locum ante nonum habere statuenti mihi non poteris non assentiri. Ex tota enim elegiae nonae condicione apparet poetam valedicere puero ac foedus amoris solutum velle. Nam gravissime est offensus quod Marathus corruptori cuidam seni se dedidit cui dira et mala imprecatur. Puellae quod Marathus teneatur amore adeo non aegre fert ut sua opera ac beneficio amantes saepe conciliarit. Unde effici mihi videtur inter Tibullum et Marathum non istam pessimam consuetudinem ac naturae repugnantem intercessisse ad quam ille senex libidinosus puerum postea pelliciebat cui sententiae id quoque convenit quod nullum verbum de tali usu Marathi poeta in carminibus tradidit.

Sed vehementer quaeritur quo tempore haec carmina composita sint. Qua quidem in quaestione explananda etiam minus adiuvamur testimoniis historiae quam in Deliae carminum tempore perspiciendo, cum in carminibus ad Marathum scriptis plane nulla temporis descriptio legatur; quo factum est ut etiam de horum tempore sententiae virorum d. in

duas fere pares partes abirent quorum alii ea post carmina in Deliam scripta alii ante illa composita esse iudicaverunt.

Ac Dissenio quidem Tibullus post Deliae amorem cum vacaret melioribus, ut ait vir d., sensibus nec puellam haberet ad hos inanes ludos delatus esse visus est; neque id Baehrensio improbatur qui verisimillimum putat feminae prius amore captum fuisse Tibullum quam cum puero luderet. Cui sententiae favere videtur ea res quod Tibullus cum carmina in Marathum scriberet magnum iam in amore usum videtur habuisse, id quod optime perspicitur ex initio carminis octavi, ubi se a Venere ipsa ‚non sine multis verberibus' amore institutum esse fatetur.

Neque tamen ea ratione adducor ut putem ad posteriorem Tibulli aetatem carmina in Marathum scripta esse referenda; multo sum pronior in sententiam Aem. Huebneri qui haec carmina priori Tibulli aetati tribuit ea ut videtur praecipue causa permotus quod compluria vestigia in his inveniebat unde apparet Tibullum haec canentem aliquo modo imitatum essse poetas Alexandrinos.[1]) Nam etsi Tibullum non merito contenderis Alexandrinis poetis ita se adiunxisse ut Catullum aut Propertium tamen illorum carminibus accurate tractatis ac perlectis animum ac mentem eum excoluisse veri est simillimum; quare non putamus nimis a vero nos aberrare statuentes carmina in Marathum scripta primitias fuisse eius studiorum ac nata esse a. fere 721 vel 722. Eis autem quae de amoris usu in his carminibus prodidit non tantam vim tribuo ut existimem ea ipsum expertum esse usuque cognita habuisse; immo quaecunque de amore prodidit et qualiacunque dedit praecepta ex alienis magis quam ex suo usu ac scientia videtur hausisse.

Sed ut extremum habeat aliquid haec disputatio ordinem quo mihi videntur libri primi carmina composita esse constituam. Itaque omnium primum puto circa a. 721 vel paullo post natum esse carmen decimum, opus certe iuvenile nec tamen invenustum. Secutae sunt fortasse eodem anno vel sequenti elegiae in Marathum scriptae quae satis redolent studium Alexandrinorum. Anno 723 coepta est Delia amari

1) cf. quae Huebnerus in adnotatione disputatiunculae de quarto carmine adiecta quae legitur Herm. XIV p. 327 sq. de hac re congessit.

et inde ab hoc tempore usque ad a. fere 725 scripta sunt deinceps carmen 3. 1. 5. 2. 6, omnibus numeris absoluta. Ultimum est carmen septimum a. 727 post Messalae triumphum compositum. Editus videtur liber primus esse aut eodem aut anno sequenti.

CARMINA ET RES PER ANNOS DIGESTA.

700. (--750)	Circa hos fere annos Tibullus natus est.
721.	Circa hunc fere annum Tibullus ad arma evocatus scribit elegiam 10.
722.	Tibullus Romae poesi litterisque deditus scribit carmina in Marathum 4. 8. 9. Messalae innotescit. Deliam amare coepit.
723.	Tibullus Messalam consulem in pugnam Actiacam comitatur. Inde in Orientem profecturus in insula Corcyra relictus carmen 3 componit.
724.	Messala proconsulares provincias Syriam Ciliciamque adit, Tibullus Romae moratus scribit elegiam 1 qua se excusat Messalae cur restituta valetudine in Orientem amicum non secutus sit.
725.	Messala occasione data trucidat gladiatores. Discidium inter Deliam et Tibullum quod tollere studet eleg. 5. Matrimonium a Delia initum. Scripta sunt carmina 2 et 6. Messala ex Oriente redux.
726.	Octavianus princeps fit. Tibullus carminibus in Deliam scriptis iam innotuit. Finis in Deliam amoris. Tibullus comitatur Messalam in bellum Aquitanicum. Autumno pugna apud Atacem commissa.
727.	Triumphus Messalae. Scripta est elegia 7. Liber totus editur.
735.	Tibullus moritur.

VITA.

Rudolfus Schultz natus sum a. d. III. Non. April. anni 1856 Zuellichoviae in urbe Marchica patre Eduardo, matre Mathilda e gente Liers qua superstite valde gaudeo. Addictus sum fidei evangelicae. Primis litterarum elementis in ludis urbis patriae imbutus anno 1868 in paedagogium regium apud Zuellichoviam situm receptus sum tum temporis a Rudolfio Hanovio rectum. E viris quibus tum usus sum magistris quamquam mihi omnes semper erunt carissimi hoc tamen loco liceat nominare Hanovium ipsum, Erlerum, Rohmerum, Schillingium, Stoeckertium quorum et doctrinae et benignitati quantum debeam nunquam ero immemor. Maturitatis testimonium anno 1875 adeptus Berolinum me contuli civibusque universitatis Fridericae-Guilelmae adscriptus per octies sex menses interfui scholis Vahleni, Kirchhoffii, Huebneri, Mommseni, Curtii, Droyseni, Nitzschii, de Treitschkii, Wattenbachii, Muellenhoffii, Schereri, Tobleri, Harmsii, Zelleri, Lassoni. Ad exercitationes ab ipsis moderatas Vahlenus et Muellenhoffius aditum benigne mihi concesserunt. His omnibus viris d. bene de me meritis candidas ago gratias.

Studiorum quadriennio peracto et examine pro facultate docendi absoluto Septembri mense anni 1881 Postampium missus sum ut in gymnasio hujus urbis officia praeceptoris susciperem. Anno tirocinii in pueris instituendis inde ab a. 1881 usque ad a. 1882 absoluto per tres annos ibidem magistri adiutoris munere functus sum. Mense Octobri anni 1885 magistratus Fuerstenwaldiensis ordinarii praeceptoris munus in gymnasio Buchwaldii auspiciis florenti mihi mandavit.

CORRIGENDA.

p. 32 extr. leg. ,valediceret'.
p. 39 v. 2 leg. pro ,esse factum' ,factum sit'.

